

duritie proprius est iudex, cœlum non attingimus. At visu quo cœlum spectamus duo hæc non iudicamus. Ad rationem ergo confugiendum, quia ipse uti verissima est usus. Eam de cap. IIII libri de Cœlo 12. expromamus. In quo, postquam, ut sibi visum, probavit cœlum esse rotundum, subdidit hæc verba.

Καὶ τὸ συνεχὲς ἄρα ἐκείνῳ. Τὸ γὰρ τῷ σφαιροειδεῖ συνεχὲς, σφαιροειδὲς.

Ergo et id quod ei est continuum, (rotundum scilicet est) melius dixisset contiguum. Subdit deinde:

Ωσαντως δὲ, καὶ τὸ πρὸς τὸ μέσον τούτων. Τὰ γὰρ ὑπὸ τοῦ σφαιροειδοῦς περιεχόμενα, καὶ ἀπτόμενα, ὅλα σφαιροειδῆ ἀνάγκη εἶναι. Τὰ δὲ κάτω τῆς τῶν Πλανηστῶν ἀπτεται τῆς ἄνω σφαίρας ὥστε σφαιροειδῆς ἂν εἴη πάσα φορὰ. Πάντα γὰρ ἀπτεται καὶ συνεχῆ ἐστὶ ταῖς σφαῖραις.

“Similiter vero, et ea, quæ ad medium, horum. Ea namque, quæ a sphærico continentur, et tanguntur, sphærica esse est necesse. Ea vero quæ infra Planetas sunt, contingunt superiorem sphæram: ita ut omnis latio sit sphærica, omnia enim contingunt, et contigua sunt sphæris.”

Hæc Aristotelis sententia est, quia supremum cœlum sphæricum est, id quod proxime ab eo continetur, atque ab eo tangitur sphæricum esse necessario. Et ita deinceps usque ad lunæ sphæram. Qua, in a philosophia ignis continetur. Qui ideo sphæricus. Ab hoc aqua ideo sphærica. Sic enim paulo postscibit.

Λάβοι δ' ἄντις, καὶ ἐκ τῶν περὶ τὸ μέσον ἰδρυμένων σωμάτων ταύτην τὴν πίστιν. Εἰ γὰρ τὸ μὲν ὕδωρ ὅστις περὶ τὴν γῆν. Ὁ δ' ἄηρ περὶ τὸ ὕδωρ. Τὸ δὲ πῦρ περὶ τὸν ἀέρα, καὶ τὰ ἄνω σώματα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον. Συνεχῆ μὲν γὰρ οὐκ ἐστὶν: ἀπτεται δὲ τούτων. Ἡ δὲ τοῦ ὕδατος ἐσπιφάνεια σφαιροειδῆς ἐστὶν: τὸ δὲ τῷ σφαιροειδεῖ συνεχὲς, ἢ κοεῖνον περὶ τὸ σφαιροειδὲς, καὶ αὐτό, τοιοῦσον ἀναγκαῖον εἶναι. ὥστε κἄν διὰ τούτου φανερόν εἴη, ὅτι σφαιροειδῆς ἐστὶν ὁ οὐρανός.

“Accipiat vero aliquis, et a corporibus circa medium positis, hanc eandem fidem. Si enim aqua est circa terram, ær vero circa aquam, ignis vero circa ærem. Et corpora supera, secundum eandem rationem, continua quidem non sunt, tangunt tamen hæc. Superficies aucetn aquæ est sphærica. Id vero quod sphærico continuum est, aut positum circa sphæricum, et ipsum necesse est tale est. Itaque et propter hoc, clarum est sphæricum esse cœlum.”

An nonne hæc, primo circularis est ostensio? Qui a supremum cœlum est rotundum, rotundat inferiora omnia, primo proximum, deinde reliqua usque ad aquam. Et rursus: quia aqua rotunda est, ær qui circa eam positus est, rotundatur, et successive, orbes reliqui ære superiore. Mirabiles sane, admirandi Aristoteles rationes, sibi invicem contradictoriæ. Quærimus causam, cur Saturni cœlum sphæricum sit? Respondet Aristotelis, quia conformatum est ad sphæricam primi cœli figuram. Qua ratione id, aut qua vi? Quia continetur hoc secundum a primo, eique est continuum. Accipio. Sed necesse est, secundum cœlum, primo vel cessisse, vel restitisse. Si resfitit, quo modo, ad illius figuram, conformatum est. Ergo ei cessit, si eius, viribus ad suam figuram est conformatum. Si cessit ergo secundum, mollius primo. Molle namque id esse docuit Aristoteles quod in se cedit. Si vere secundum restitit, durius primo fuit, neque in se cessit. Qua igitur vi, sua ne, an aliena est conformatum? Si sua, non opus habuit primi cœli circumplexu, ut sphæricum evaderet. Si aliena, ei cessit, et opus habuit. Impressio primi, actio est, cessio secundi passio. Hæc molliciei est. Μαλακὸν γὰρ τὸ ὑπεῖκον. Molle enim est quod cedit. Primum ergo cœlum tantum habet duritie; uti possit mollitudinem secundi comprimere ita, ut illi sphæricam figuram indat. Secundum quoque tantulum habet duritie, ut hanc eandem sphæricam tertio imprimat. Atque ita singulos orbes superiores usque ad lunæ orbem duriusculi tantum erunt, ut inferiorem sibi proximum rotundum faciant. Atque ita fiet ut primum cœlum, omnium sit durissimum. Lunæ cœlum, omnium sit mollissimum. A quo mollissimo ignis comprimitur in rotundum. Ergo suo compressore mollior. Ær eadem ratione mollior erit igne. Ære